ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. XCVII

TYPIS VATICANIS
MMV

An. et vol. XCVII 7 Ianuarii 2005 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

I

quibus Beatae Benedictae Cambiagio Frassinello Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis» (*Eph* 5, 1).

Beata Benedicta Cambiagio Frassinello, terrestrem decurrens exsistentiam, adhortationi Apostoli Pauli maximopere adhaesit et, divinitus suffulta, Domini voluntatem fideliter ac constanter observandam curavit. Persuasum habens - ut saepe dicere consueverat - «omnia pro Dei amore pro eiusque beneplacito facienda esse», vitae suae exemplo miserationem Christi erga indigentes visibilem reddidit. Ut eorum subveniret necessitatibus, religiosum condidit Institutum, Congregationem scilicet Sororum Benedictinarum a Providentia.

Rusticis christianisque parentibus orta est die II mensis Octobris anno MDCCXCI in Genuensi pago vulgo *Langasco*; duos dies nata sacramento baptismatis est regenerata. In urbem Ticinum cum suis coniunctis translata, inde a iuventute animo peculiariter commotam se praebuit erga eos qui morali et corporali auxilio magis indigebant, et incubuit ad catechismum puellis vi-

cinorum tradendum. Die VII mensis Februarii anno MDCCCXVI Ticini viro nupsit Ioanni Baptistae Frassinello, iuveni incorruptis moribus praedito. Duobus elapsis annis ab inito matrimonio, consentiens cum marito, Benedicta coram Episcopo castitatis votum nuncupavit. Propria in domo hospitem excepit sororem Mariam, graviter aegrotantem, cui affectu et deditione inserviit. Inde a pueritia consilium concipiebat Deo omnino se vovendi; quapropter a suo confessario, patre Iacobo De Filippi, postulavit ut religiosam domum ingredi posset; attamen in illo temporis vestigio negativam obtinuit responsionem, at oboedivit. Post obitum sororis, exspectatum consensum adepta est, et, praehabito mariti consensu, religiosam amplecti potuit vocationem. Itaque domum Ursulinarum in Brixiensi oppido vulgo *Capriolo* ingressa est; maritus pro parte sua inter Clericos Regulares a Somascha se cooptavit. Quoniam vero Benedicta ad vitam contemplativam non vocabatur et infirma valetudine fruebatur, paucos post menses in domum paternam rediit ibique iuvenes derelictos curare incepit. Consentiente Episcopo Aloisio Tosi, anno MDCCCXXVI opus incohavit ad puellis pauperibus inserviendum, ad quod inceptum exsequendum a variis benefactoribus fuit sustentata.

Per decem circiter annos opus educationis impense explicavit, et cum ea sponte se sociarunt aliae iuvenes spiritu paupertatis et humilis servitii praeditae. Prae falsis opinionibus ac detracta fama, quas beata forti tulit animo, opus suum Episcopo concessit et una cum viro suo et sociabus Papiam reliquit et se contulit in Genuensem locum vulgo *Ronco Scrivia*, ubi «domum Providentiae» instituit, cuius erat succurrere non tantum puellis pauperibus, verum etiam illis bene constitutis et infirmis. Spiritus Sancti lumine ducta eiusque donis suffulta, asceticum iter assidue percurrit, omnes adamussim exercens virtutes. Fides supernaturalis lumen exstitit totius eius exsistentiae, qua beata Benedicta per continuam orationem et per pietatem erga Eucharistiam et beatissimam Virginem Mariam se nutriebat. Dei Providentia confidens, innumera discrimina et detestationes serene oppetivit. In primis maiorem Dei gloriam animarumque salutem sibi proposuit, quae ad exsequenda varia instituit caritatis opera. Quo opus suum solidiore muniret firmitate, una cum suis sociis condidit novam religiosam communitatem, cui inditum est nomen Sororum Benedictinarum a Providentia. Anno MDCCCXLVII in urbem Iriam duas misit sorores germanas, nempe Mariam Antoniam et Iustinam Schiapparoli, ut patrem viduum et infirmam sororem assiderent; et illic exorta est domus religiosa quae dein probata est sub titulo Congregationis

Sororum Benedictinarum a Divina Providentia. Statim, apostolico compulsa fervore, Ticini novam domum, orphanotrophium et scholam mulierum fundavit. Iustam et prudentem se praebuit in regendo Instituto ab ipsa fundato, in consortione cum filiabus spiritualibus fovenda nec non in opere educationis explicando in bonum puellarum, quibus inserviebat. Incommoda vitaeque contumelias patienti et aequo animo pertulit, laetam se sentiens quod proprias aerumnas cum doloribus Passionis Christi communicare poterat. Illecebris sensibusque iugiter temperavit atque corpus macerationibus sponte subiecit. Omni tempore sive consiliis moderatoris spiritus, sive praeceptis superiorum ecclesiasticorum est obsecuta. Appetens Christum pauperem imitari, filias spirituales hortabatur ad expetendam paupertatem uti praesidium Instituti. Castitatem diligenter servavit, primum uti uxor, deinde uti mulier consecrata. Postquam novissimi morbi cruciatus sustinuerat, in loco vulgo *Ronco Scrivia* die XXI mensis Martii anno MDCCCLVIII ad aeternum praemium transiit.

Eius sanctitatis fama in dies increbrescente, anno MCMXXVII incohatus est Processus Informativus. Servatis omnibus de iure servandis, die X mensis Maii anno MCMLXXXVII Nosmet in beatorum album eam adscripsimus. Die XX mensis Decembris anno MMI Nobis coram decretum de miraculo prodiit. Amplectentes favens votum Patrum Cardinalium et Episcoporum, in Consistorio die XXVI proximi praeteriti mensis Februarii hoc anno MMII congregatorum, statuimus ut ritus canonizationis die XIX sequentis mensis Maii Romae perageretur.

Hodie igitur in foro Vaticanam Sancti Petri Apostoli Basilicam prospiciente, inter sacra hanc ediximus formulam:

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Alfonsum de Orozco, Ignatium a Santhià, Humilem a Bisignano, Paulinam a Corde Iesu Agonizanti et Benedictam Cambiagio Frassinello Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 514.585

II

quibus Beato Aloisio Orione Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci ut plures lucri facerem... factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucri facerem; omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos. Omnia autem facio propter evangelium, ut comparticeps eius efficiar» (*1 Cor* 9, 19-23).

Pauli Apostoli haec verba nos ad Beati Aloisii Orione vitam ostendendam iuvant, qui mirum quoddam ingeniosumque nobis apparet christianae caritatis indicium. Eius vitam tum laboriosam tum nonnumquam asperam summatim complecti non possumus. Attamen asseverare licet eum inter eminentissimos saeculi XX homines propter christianam fidem palam significatam adscribi posse. Pauli Apostoli cor animumque habuit, cum esset tener ac sensibilis usque ad lacrimas, indefatigabilis animosusque usque ad audaciam, tenax operosusque usque ad heroicam virtutem, omne genus obiens pericula,

politicos excultosque homines conveniens, homines fide carentes illuminans, peccatores convertens, usque in continuata fidentique precatione versans, quam interdum terrificae paenitentiae comitabantur.

Aloisius Orione in oppido *Pontecurone* dioecesis Derthonensis die XXIII mensis Iunii anno MDCCCLXXII ortus est. Licet sacerdotium affectaret, tres annos (MDCCCLXXXII-MDCCCLXXXV) patrem iuvit famuli silicarii sustinens partes. Die XIV mensis Septembris anno MDCCCLXXXV, XIII annos natus, Franciscale claustrum Iriense ingressus est, sed peripneumonia affectus, cum summo discrimine versaretur, domum repetivit. Ab anno MDCCCLXXXVI ad annum MDCCCLXXXIX Oratorio Valdocco Taurinensi est receptus. Derthonense deinceps seminarium ingressus est. Derthonae die III mensis Iulii anno MDCCCXCII primum adulescentibus in christiana disciplina erudiendis oratorium instituit; insequenti anno, die scilicet XV mensis Octobris anno MDCCCXCIII, Aloisius Orione, clericus XXI annorum, Collegium pauperibus adulescentibus destinandum condidit.

Die XIII mensis Aprilis anno MDCCCXCV ordine sacro est auctus atque eadem in celebratione eius collegii sex alumnis clericale tradidit Episcopus vestimentum. Iuvenem circum Conditorem increbruerunt clerici et iuvenes sacerdotes, qui primum Parvae Operae Divinae Providentiae globum constituerunt. Derthonensis Episcopus, excellentissimus Dominus Hyginus Brandi, anno MCMIII congregationem marium religiosam Filiorum Divinae Providentiae canonice agnovit (videlicet sacerdotum, fratrum, coadiutorum et eremitarum), quique charisma confirmavit, quod apostolico modo ita explicatur «ut sociata opera praestetur ut parvuli, pauperes populusque per caritatis ministerium Ecclesiae Summoque Pontifici deferantur», quod per IV peculiare votum significatur «fidelitatis erga Summum Pontificem». Ipso roboratus Leonis XIII consilio, Beatus Orione in primis Constitutionibus anni MCMIV inter novae Congregationis incepta illud posuit propositum adlaborandi ut «separatae Ecclesiae unitatem adipiscerentur».

Christi fuit ille sacerdos totus laetusque, cum Italiam atque Americam Latinam decurreret, vitam dicans iis qui magis propter fortunam, indigentiam, humanam pravitatem patiuntur. Sufficit ut inter terraemotibus Messanensibus Marsicisque affectos studiosa eius praesentia memoretur. Aloisius Orione plane intellexit primum esse iustitiae opus populis Christum praebere, quia «caritas nimirum ipsa omnes aedificat, omnes in Christo Ecclesiaque coniungit». Humilis hic pauperque presbyter, intrepidus et indefatigabilis, amoris Dei vividus factus est testis. Frequentem ipse communicat turmam testium qui suam per agendi rationem plus quam meram inter homines mu-

tuam necessitudinem ostenderunt, verbis factisque libertatis, redemptionis et certae tandem spei, suae frontis minuens sudorem.

Pauper inter pauperes, Christi fratrumque indigentiorum amore compulsus, magis magisque Parvae Operae Divinae Providentiae tentorium dilatavit, quae Parvis Sororibus Missionariis Caritatis, Sacramentinis Caecis ac deinceps Contemplativis Iesu Crucifixi est locupletata. In Caritatis civilisque muneris provincia laicos quoque implicavit, qui exinde Institutum Saeculare Orioninum et Motum Laicalem Orioninum effecerunt.

In Polonia, Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, Anglia, spiritu vere oecumenico alias domus constituit. Suam in Mariam dilectionem per magnun sanctuarium Derthonense aedificatum et vulgo nuncupatum «Madonna della Guardia» re visibiliterque exprimere voluit.

Huius caritatis strategi cor fuit «sine finibus, quandoquidem Christi caritate distendebatur». Erga Christum studium eius audacis vitae fuit anima, interior impulsus ad alios curandos sine condicionibus, fons frigidus indissolubilis spei. Anno antequam moreretur sic praecipuum suae vitae summatim est complexus propositum «pati, silere, orare, amare, in cruce esse et adorare». Mirabilis est Deus suis in Sanctis, et Beatus Orione omnibus est perspicuum exemplar et in fide solacium.

Beatificationis canonizationisque causa Beati Aloisii Orione anno MCMXLVII apud Derthonensem dioecesim est incohata. Die XXVI mensis Octobris anno MCMLXXX Nos Ipsi laetanter eundem Dei Servum Beatum renuntiavimus.

Anno MCMXCIX Derthonensis Episcopus processum canonicum incohavit de prodigiosa sanatione, quae dicebatur, quaeque anno MCMXC Petrino Penacca accidit, qui Beatum ipsum vivum noverat. Die VII mensis Iulii anno MMIII concessimus ut decretum de miraculo foras daretur. In Consistorio, die XIX mensis Februarii anno MMIV celebrato, statuimus ut canonizationis ritus die XVI mensis Maii eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Aloisium Orione, Hannibalem Mariam Di Francia, Iosephum Manyanet y Vives, Nimatullacium Kassab Al-Hardini, Paulam Elisabetham Cerioli et Ioannam Beretta Molla Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Specimina autem haec actuosae christifidelium in orbe sanctitatis adeo sollemniter universae proposita Ecclesiae exoptare tantummodo possumus ut, sicuti gratulantibus erunt semper laetandi causae, ita Evangelium Christi sectantibus maneant totidem incitamenta ut idem illi fideles sua in vita efficere studeant quod tam laudabiliter ab aliis, Deo opitulante, iam effectum viderint.

Quae demum his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

EGO IOANNES PAULUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.456

III

quibus Beatae Ioannae Beretta Molla Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Cum dilexisset suos... in finem dilexit eos» (*Io* 13, 1).

Beata Ioanna Beretta Molla Domini Iesu exemplum, qui suos usque ad supremum vitae sacrificium dilexit, ardenter est secuta, in caritate Deo, Ecclesiae, familiae et aegrotis serviens. Christianam testificationem potissimum confirmavit, cum vitam dedit ut infantem in gremio suo salvaret.

Ioanna Beretta die IV mensis Octobris anno MCMXXII *Maxentae*, prope Mediolanum, ex parentibus prorsus christianis est orta. Decima fuit ex tredecim liberis: quinque in iuvenili mortui sunt aetate, tres Deo se devoverunt. Henricus, religioso nomine Albertus, missionarius exstitit Capuccinus in Brasilia; Iosephus, presbyter in dioecesi Bergomensi; Virginia, religiosa Canossiana, missionaria in India.

Pater Ioannae, Albertus, christianae vitae exemplar, voluit ut omnes filii lauream consequerentur. Singulis diebus, ante cotidianam suscipiendam navitatem, Missae intererat. Mater, Maria de Micheli, mulier fuit humilis et roboris plena. Ioanna iam ab infantia, in familiari ambitu, educationem ad preces, ad Eucharistiam participandam nec non ad proximi amorem accepit. Modo quinque et dimidium annos nata, die IV mensis Aprilis anno MCMXXVIII, prima Communione Bergomi est recreata; die IX mensis Iunii anno MCMXXX Chrismatis recepit sacramentum.

Intensa in laetitia crescebat, vitam veluti peculiare Dei donum considerans: itinera ei placebant, flores et montes, ars musica atque corporis exercitationes. Sciebat pingere et narrare, sapienter ac subtiliter decernere. Anno MCMXXXVII eius familia ad locum v. d. « Quinto al Mare », prope Ianuam, se transtulit. Ioanna Actionem Catholicam frequentabat atque gymnasium-lyceum classicum, fructus edens aliis iuvenibus communes.

Eodem tempore spiritale iter suum maturabat. Cotidie sacro convivio recreabatur, singulis hebdomadibus confiteri solebat peccata sua, spiritalibus exercitationibus composite aderat. Sedecim annos nata, in spiritalibus exercitationibus, fundamentalem vixit suae vitae eventum. Plurimis obnoxia exstitit difficultatibus: morbi causa studiorum curricula per unius anni spatium intermisit; matrem et patrem eodem anno MCMXLII amisit. Ioanna, quae cum fratribus sororibusque Maxentam se transtulit, facultati medicinae nomen dedit, primum Mediolani deinde Papiensi in urbe. Lauream anno MCMXLIX est consecuta atque, tres post annos, altiora studia paediatriae perfecit.

Verba Sacrarum Scripturarum meditans: « Beatius est magis dare quam accipere » (*Act* 20, 35), Ioanna diligenter in apostolatu adlaboravit, in Societate sancti Vincentii, in Actione Catholica nec non in catechesi tradenda. Deum diligebat atque ardenter desiderabat ut multi Eum diligerent.

Munus medici exercens et dolorem cum aegrotis participans, maximam demonstrabat peritiam, deditionem, singularem sollicitudinem nec non benignam urbanitatem. Dicere solebat: « Ministerium nostrum non concluditur cum medicamenta irrita redduntur; anima ad Deum est nobis adducenda ».

Cogitabat de apostolatu missionali in Brasilia, sed e precibus et exercitationibus spiritalibus suam ad matrimonii intellexit vocationem, quod die XXIV mensis Septembris anno MCMLV cum doctore machinario Petro Molla contraxit. Plenam vitae amorisque communionem in familia agens, diligentem in sociali et ecclesiastica navitate se monstravit.

Mense Septembri anno MCMLXI, quarta durante praegnatione, Ioanna non haesitavit ut creaturae vitam vitae suae anteponeret atque consulto quaesivit ut fructus gremii salvaretur. E fiducia in caelestem Patrem, e solacio orationis et Sacramentorum nec non ex adsidua familiarum amicorumque praesentia exemplarem vim in serena immolatione hausit.

Saturni die in Paschatis octava, post hebdomadam ab infantis feminilis generis ortu, die XXVIII mensis Aprilis anno MCMLXII mortem obiit clamans: «Amo te, Iesu!». In dignitatem vitae credebat cuiusque testis fuit usque ad supremum sacrificium.

Beatificationis canonizationisque causam Ioannae Beretta Molla incohavit Archiepiscopus Mediolanensis Ioannes Baptista Montini, Decessor deinde Noster, rec. mem., hac in Petri cathedra.

Processus canonicus anno MCMLXXX apud Curiam Mediolanensem est instructus. Omnibus diligenter de iure expletis rebus, Nobis adstantibus anno MCMXCI decretum est promulgatum de heroico virtutum Ioannae Beretta Molla exercitio. Approbato deinde miraculo, Servae Dei intercessioni tributo, eam inter beatos die XXIV mensis Aprilis anno MCMXCIV recenseri voluimus. Feliciter nuper Nosmet Ipsi agnovimus miraculum, quod in Brasilia evenit, beata Ioanna intercedente. Consentientibus deinde Cardinalibus et Episcopis in Consistorio die XIX mensis Februarii anno MMIV, decrevimus ut canonizationis ritus die XVI mensis Maii eiusdem anni Romae perageretur.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

«Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Aloisium Orione, Hannibalem Mariam Di Francia, Iosephum Manyanet y Vives, Nimatullacium Kassab Al-Hardini, Paulam Elisabetham Cerioli et Ioannam Beretta Molla Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Clara haec mulier perdiligentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dedit religiosae pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, quae Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secuta, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.457

IV

quibus Beato Hannibali Mariae Di Francia caelitum Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Beatus Hannibal Maria Di Francia suam vitam et opera constituit inspiratus hac evangelica narratione: Iesus « videns turbas, misertus est eis quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit disci-

pulis suis: "Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam" (*Mt* 9, 36-38). Huius compassionis participatio compulit Beatum ad vitae suae donum pro parvulis et derelictis impendendum, ita ut « verus orphanorum et pauperum pater » unanimiter appellaretur. Hoc in exercendo opere persuasum quoque habuit spiritualem et materialem horum paupertatem radicitus solvi posse Dominum deprecando ut in Ecclesiam et societatem plurimos et sanctos Evangelii operarios mittere dignaretur.

Omnibus igitur opibus contendit ut oratio pro vocationibus constans esset et universalis, implicans Summos Pontifices, Patres Purpuratos, Episcopos, Sacerdotes et fideles quadam sacra precationum contentione, quae postea fastigium attigit cum Paulus VI anno MCMLXIV instituit Diem Mundialem pro vocationibus orandi. Huius charismatis causa beatus Hannibal Maria a Nobis tamquam apostolus orationis pro vocationibus et genuinus praecursor industriusque hodiernae rei pastoralis vocationalis magister habitus est.

Hannibal Maria Di Francia die quinto mensis Iulii anno MDCCCLI *Messanae* natus est, nobili ex familia. Duos post dies baptismali lavacro ablutus est; atque cum quindecim tantum aetatis menses ageret a patre orbatus mansit. Hoc tristi eventu peculiariter commotus est et sollicitus redditus de orphanis et pueris derelictis, tam vitam suam quam instituendi methodum suo charismate insigniens. Septem annos natus missus est in collegium sodalium Cisterciensium, ubi colere didicit filialem devotionem erga beatissimam Virginem Mariam nec non adeo propensum se ostendit ad pietatem eucharisticam eo ut licentiam obtineret, tunc praeter solitum, ad sacrum convivium cotidie accedendi. Perquam iuvenis, dum quiescebat adorans Sanctissimum Sacramentum, quamdam habuit inspirationem, quae definiri potest « Intellegentia precationis Rogate », de primaria necessitate pro vocationibus orandi, quod eius exstitit charisma eiusque vitae propositum. Deinde legit versum Evangelii: « Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Mt* 9, 37-38; *Lc* 10, 2), unde intellexit vocem « Rogate » non esse simplicem adhortationem, sed « manifestum praeceptum » Iesu, idcirco in bonum Ecclesiae et societatis « infallibilem medicinam ». Inspiratio haec penitus et absolute insedit in spiritali eius itinere et fulcrum eius optionis vitae constituit.

Duodeviginti annos natus talarem induit vestem, quoniam urgentem exaudiverat Domini vocationem, quam veluti « subitaneam, ineluctabilem, firmissimam » ipsemet descripsit.

Acuto praeditus ingenio, Hannibal Maria statim miras dotes scriptoris, diurnarii et poetae ita exhibuit, ut ex iis solidum exspectaretur et praeclarum curriculum litterarium apud culturales eius urbis circulos; ipse tamen, haec talenta ferventer adhibuit ad pastorale suum ministerium facilius reddendum.

Die decimo sexto mensis Martii anno MDCCCLXXVIII presbyteratus ordine auctus est. Aliquot ante menses veluti divinitus pauperem caecum quemdam convenerat, qui exsistentiam famosi suburbii Messanensis, vulgo «Le Case Avignone», ostendit ei, quo tamquam sacerdos, omne genus intollerantias et difficultates superans, se contulit non tantum ad pauperes sublevandos, verum etiam ad commorandum et vivendum cum illis et secundum eorum condiciones, communicans cum hac maerentium turba apostolatum orationis «Rogate», ad quam diffundendam Pater Hannibal Maria condidit anno MDCCCXCVII «Sacrum Foedus Sacerdotale» pro Purpuratis Patribus, Episcopis et Sacerdotibus; atque anno MCM «Pium Sodalicium Evangelicae Rogationis» pro omnibus fidelibus.

Orphanotrophia instituit puellarum et puerorum, quos, ob cultum Sancto Patavino tributum, «Antonianos» appellavit; praeterea Congregationes fundavit Sororum Filiarum a Divino Zelo anno MDCCCLXXXVII et Patrum Rogationistarum a Corde Iesu anno MDCCCXCVII, quibus tradidit suum charisma «intellegentiae et zeli ob precationem Rogate», quod quartum constituit votum, quo obligatione tenentur pro vocationibus cotidie rogandi easque promovendi, hunc orationis spiritum ubique diffundendi et omnem explendi operam apostolicam ut et ipsimet boni efficiantur operarii pro adventu Regni Dei, praesertim cum caritatis spiritualis et temporalis opera exercent in parvulorum et pauperum beneficium.

Pater Hannibal dicere consueverat necesse esse a Domino precari ut, praeter vocationes singularis consecrationis, suscitet quoque vocationes inter laicos operosos, quoniam ipsi sunt quoque «operarii messis». Iuvenibus, vocationale iter suscipientibus, fidelitatem et perseverantiam providebat sequenti adhortatione: «Iesu Christi amore inflammamini!».

Messanae die primo mensis Iunii anno MCMXXVII, spontanea ornatus ac diffusa sanctitatis opinione, ab omni personarum coetu comprobata, in Domino obdormivit.

Causa canonizationis Messanae incohata est et, canonicis expletis Processibus, die septimo mensis Octobris anno MCMXC Nosmet Ipsi in album beatorum eum rettulimus. Die vicesimo secundo mensis Ianuarii anno MMIV Decretum super miraculo, in Insulis Philippinis anno MCMXCIII patrato, vulgari iussimus. In Consistorio die undevicesimo mensis Februarii eiusdem anni

MMIV habito statuimus ut ritus canonizationis die decimo sexto sequentis mensis Maii perageretur.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Aloisium Orione, Hannibalem Mariam Di Francia, Iosephum Manyanet y Vives, Nimatullacium Kassab Al-Hardini, Paulam Elisabetham Cerioli et Ioannam Beretta Molla Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quo prolato sermone de vita, virtutibus et operibus huius praestabilis viri, atque gratiis Deo redditis, caeleste eius invocavimus patrocinium, omnes Christifideles hortati sumus ad eiusdem Sancti virtutes pie imitandas, atque augustiore ritu divinum sacrificium in illius honorem celebrare perreximus.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo sexto mensis Maii, anno bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.458

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BRUNEIENSIS

In Bruneio Darussalam novus conditur Vicariatus Apostolicus Bruneiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Praefectura Apostolica Bruneiensi, cuius sedes est in urbe *Bandar Seri Begawan* intra Negara Brunei Darussalam fines, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa habitisque faventibus votis eorum quorum interest, censuit ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate memoratam Praefecturam Apostolicam Bruneiensem ad gradum Vicariatus Apostolici evehimus eodem servato nomine Bruneiensi, quem concredimus sollicitis curis Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Salvatori Pennacchio, Archiepiscopo titulo Montis Marani ac Delegato Apostolico in Bruneio Darussalam, onere imposito authenticum exemplar actus peractae exsecutionis memoratae Congregationi remittendi. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo septimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 565.551

II

DORIENSIS

In Republica Burkina Fasana nova conditur dioecesis Doriensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Republica Burkina Fasana eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut ibidem nova constitueretur dioecesis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Marii Zenari, Archiepiscopi titulo Iuliensis, in memorata Natione tunc Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesibus Fada Ngurmaënsi atque Uahiguyaënsi separamus territorium Provinciarum civilium *Séno*, *Oudalan*, *Yagha* et *Soum* exstantium in Regione civili *Sahel*; ex eoque novam constituimus dioecesim Doriensem, quam metropolitanae Ecclesiae Kupelaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Dori templumque ibidem situm, Deo in honorem Sanctae Annae dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Marius Robertus Cassari, Archiepiscopus titulo Truentinus et in Republica Burkina Fasana Apostolicus Nuntius, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi eidem mittenda. Hanc Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo mensis Novembris, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo septimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*
Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 568.246

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Dominicae Mantovani Beatorum caelitum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Qui maior est vestrum, erit minister vester» (*Mt* 23, 11).

Exemplum secuta Domini Iesu, qui in mundum venit non ut ministraretur sed ut ministraret (cfr *Mc* 10, 45), Venerabilis Serva Dei Maria Dominica Mantovani iuvenili inde ab aetate spiritualia et materialia misericordiae opera simpliciter ac ferventer ad effectum adduxit, et Beato Iosepho Nascimbeni, conditori Congregationis Parvarum Sororum a Sancta Familia, adiutricem operam humiliter ac fideliter praestitit. Eius spiritum constanter imitans in operibus vitae suae, omnibus omnia facta est (cfr *1 Cor* 9, 22) Ecclesiae et populo cotidie serviens.

Haec Christi testis die XII mensis Novembris anno MDCCCLXII in pago vulgo *Castelletto di Brenzone* intra fines dioecesis Veronensis rusticis nata est parentibus, a quibus validam didicit christianam disciplinam. Mense Octobri anno MDCCCLXX sacro Chrismate est uncta et breve post tempus ad primum sacrum convivium accedere potuit. Ad pietatis vitam propensa, sacrificium eucharisticum cotidie frequentare perrexit, sacro cibo se reficiens. Deinde nomen suum dedit Piae Unioni Filiarum Mariae et, cum aliis puellis, Marialem devotionem excoluit.

Cum illa adhuc adulescens esset, in pagum *Castelletto* advenit presbyter Iosephus Nascimbeni, uti magister et cooperator; hic enim spiritale assumpsit moderamen Mariae Dominicae et diligenter prospexit christianae iuvenum mulierum formationi, quas ad actuosam participationem paroecialem hortabatur. Serva Dei in sanctitatis via progrediebatur et sollicitam se praebebat de catechesi pueris tradenda, de pauperibus et infirmis curandis. Die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXXVI virginitatis votum emisit. Cum eius spiritalis magister, parochus ibidem constitutus, ab ea petiverit ut sociam praestaret operam ad condendum Institutum educationi iuventutis et curae infirmorum dicatum, ipsa, ferventer cupiens se totam Domino vovere, alacri promptoque animo inceptui annuit. Ita confundatrix facta est Congregationis Parvarum

Sororum a Sancta Familia. Die IV mensis Novembris anno MDCCCXCII, simul cum aliis mulieribus sociis, Veronae religiosum induit habitum et nomen Mariam sumpsit. Sequenti die, nova communitas religiosa in pagum quem diximus se contulit, ubi a laetantibus incolis excepta est. Sancta Familia tam eius consecrationem Christo hominibusque factam quam iter novi Instituti religiosi illustravit. Singulari sollicitudine, ad mentem conditoris, Serva Dei, in communione et in cooperatione cum Ecclesia, munus suscepit curandi pauperes et parvulos, orphanos et omnes prope se degentes, et tandem omnes qui solvendas quaerebant graves cotidianae vitae difficultates.

Institutum celeriter per varias Italicas ac postea per exteras regiones est diffusum. Anno MCMIII approbationem dioecesanam et anno MCMX « Decretum laudis » obtinuit. Post obitum fundatoris, qui evenit anno MCMXXII, Serva Dei sola permansit Congregationem regens tamquam Suprema Moderatrix. Fortitudine munita et ad futurum conversa suum implevit officium. Domini manibus fidenter se commendans, virtutem in Eo invenit ad adeo onerosum munus obeundum.

Firma profundaque eius fides et operosa caritas moverunt eam inde a iuventute ad divina consilia sine retractatione sequenda. Ad Christi Regnum exstruendum docile instrumentum facta est in manibus Dei et Beati Iosephi Nascimbeni. Viam virtutum suscepit per constantem precationem, pietatem eucharisticam, cultum erga Beatam Mariam Virginem et Sanctum Ioseph, atque per observantiam consiliorum evangelicorum et exercitium paenitentiae. Christianae spei lumine illustrata, vitam suam convertit ad aeternam beatitudinem, a terrenis abhorrens opibus. Vestigia sequens Matris Domini, quae in pago Nazarethano ancillam sese appellaverat et Annuntiationis Verbum cum fide exaudiverat, sereno fortique fuit animo; apud filias spirituales et apud omnes quos per viam inveniebat gaudium seminavit. Artam cum Domino nutrivit communionem et, Nazarethanam Familiam intuens nec non necessitatibus pauperum usque intenta, Domino plene dono se dedit, singulos dies extraordinario degens amore. Spiritus Sanctus, a quo duci sivit, alacritatem tribuit ei et virtutem ostendendi fratribus misericordem Patris vultum. Dulcedinem exhibuit et maternam sollicitudinem erga filias spirituales, quas fortiter suaviterque rexit ad religiosae consecrationi et spiritui conditoris fidelitatem servandam.

Mense Ianuario anno MCMXXXIV pituitatis febri correpta est. Aliquot post dies eius valetudo in peius est mutata. Die II sequentis mensis Februarii in Christi pace piissime requievit.

Attenta diffusa sanctitatis fama, Episcopus Veronensis Causam iniit beatificationis et canonizationis. Omnibus servatis de iure servandis, Nobis coram de virtutibus heroico gradu exercitis decretum prodiit die XXIV mensis Aprilis anno MMI; atque die V mensis Iulii anno MMII approbatum est decretum super miraculo. Deinde statuimus ut ritus beatificationis Romae perageretur die XXVII mensis Aprilis sequentis anni.

Hodie igitur in foro Petrianam Basilicam prospiciente, intra Missarum sollemnia, hanc protulimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Tarsicii Bertone, Archiepiscopi Ianuensis, et Flavii Roberti Carraro, Episcopi Veronensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iacobus Alberione, Marcus ab Aviano, Maria Christina Brando, Eugenia Ravasco, Maria Dominica Mantovani et Iulia Salzano Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iacobi Alberione die vicesima sexta Novembris, Marci ab Aviano die decima tertia Augusti, Mariae Christinae Brando die vicesima Ianuarii, Eugeniae Ravasco die vicesima quarta Octobris, Mariae Dominicae Mantovani die tertia Februarii et Iuliae Salzano die decima septima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Deinde, gratiis benignissimo Domino redditis, summa devotione humanas christianasque huius Beatae virtutes admirantes, omnibus fidelibus eam imitandam proposuimus et in adiutorium totius Ecclesiae adhuc in terra peregrinantis caeleste eiusdem invocavimus patrocinium.

Quae autem decrevimus volumus et nunc et in perpetuum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno Domini MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.465

II

Venerabili Dei Servae Iuliae Salzano Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Catechizabo semper, usque filum habebo vitae ».

Haec verba a Venerabili Dei Serva Iulia Salzano pronuntiata, clare eius missionem significant cui totam dicavit exsistentiam. Ista revera neque vigoribus neque sacrificiis pepercit ut catechesim infantibus, familiis et adultis traderet. Sciebat omnino institutionem catecheticam illuminare et roborare fidem atque vitam secundum spiritum Christi nutrire. Catechetica institutio praecipuus est omnino modus quo Ecclesia suum explevit munus educationis (cfr Conc. Oecum. Vat. II, Declaratio de educatione christiana, *Gravissimum educationis*, n. 4). Venerabilis Dei Serva, educationis considerans utilitatem ac necessitatem, novam condidit familiam religiosam, Congregationem scilicet Sororum Christianae Doctrinae Institutricum a SS. Corde.

Haec fidelis Christi testis loco *Santa Maria Capua Vetere* (in regione Casertae) die XIII mensis Octobris anno MDCCCXLVI est nata. Quattuor annos nata patre est orbata atque Orphanotrophium ingressa Sanctae Mariae Gratiarum, in *San Nicola Strada*, a Sororibus Caritatis directum. Diploma scholae consecuta, munus magistrae explevit in schola communali Casoriae (prope Neapolim), quo cum familia anno MDCCCLXV se contulit. Singulares ostendit dotes diligenterque pro adulescentium formatione est operata, catechismum etiam studiose explanans. Corporis ob debilitatem pro tempore educationis reliquit opus, deinde vero, suadente beato Ludovico e Casoria, apostolatum incohavit ad quem Domini sentiebat invitationem. Anno MDCCCXCIV, auctoritate approbante ecclesiastica, Piam condidit Domum Catechesis. Die XXI mensis Novembris anno MCMV simul cum quibusdam filiabus spiritalibus habitum induxit religiosum atque, duos post annos, religiosa nuncupavit vota. Anno MCMX opera iam consolidata nomen accepit Congregationis Sororum Christianae Doctrinae Institutricum a SS. Corde, quae celeriter etiam extra Casoriam est diffusa.

Sibi hoc persuaserat: « Soror catechista metiri non debet sacrificia illa quae hoc ministerium postulat, quin immo contra, cupere debet in prima acie mori, si sic Deo placuerit »; sic Dei Serva suas omnes in catechesis institutionem vires profudit. Munus explens educandi singularem demonstravit per-

suasionem, quam cotidianae vitae exemplo confirmabat, christianas exercens virtutes studioseque viam ad sanctitatem percurrens.

Omnibus in vitae adiunctis altiorem reddebat fidem, adhaesionem ad divina consilia atque fidelitatem erga Ecclesiam. Studiose omnino cum Christo coluit unionem per Sacrarum Scripturarum lectionem et meditationem, pietatem erga Sacrum Cor Iesu, una cum beata Catharina Volpicelli propagatam, erga Eucharistiam et Virginem Sanctissimam. Actionem apostolicam fervidis precibus vivificabat, quas pro peccatorum conversione offerebat. In difficultatibus superandis adiumentum inveniebat non in humanis mediis, sed in Divina Providentia. Caritate Dei ducta plurima explevit misericordiae opera pro spiritali proximi bono. Materna fuit erga discipulos, optima cum sororibus, familias sustentabat pauperes et sacras aedes. Prudentiam demonstravit in moderanda Congregatione quam fundavit atque in directione filiarum spiritalium in via perfectionis evangelicae. Studiose leges servavit ecclesiasticas et Regulam Instituti fiduciose occurrens cotidianis angustiis in apostolatu exercendo.

Die XVII mensis Maii anno MCMXXIX, multis expletis operibus ad maiorem Dei gloriam atque Regni Christi divulgationem, pie in Domino obdormivit atque ad beatitudinem adiit aeternam contemplandam quam vehementer in vita terrestri desiderabat.

Sanctimoniae fama crescente post obitum, annis MCMXXXVII-MCMLIV Processus Ordinarius Informativus est celebratus. Omnibus de iure diligenter expletis, die XXIII mensis Aprilis anno MMII, Nobis adstantibus, decretum promulgatum est de virtutibus theologalibus et cardinalibus iisque adnexis heroum in modum a Iulia Salzano exercitis. Die XX mensis Decembris eiusdem anni decretum super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Dei Servae intercessioni est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die XXVII mensis Aprilis anno MMIII Romae perageretur.

Hodie igitur, in area Petriana, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Tarsicii Bertone, Archiepiscopi Ianuensis, et Flavii Roberti Carraro, Episcopi Veronensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Dei Servi Iacobus Alberione, Marcus ab Aviano, Maria Christina Brando, Eugenia Ra-

vasco, Maria Dominica Mantovani et Iulia Salzano Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iacobi Alberione die vicesima sexta Novembris, Marci ab Aviano die decima tertia Augusti, Mariae Christinae Brando die vicesima Ianuarii, Eugeniae Ravasco die vicesima quarta Octobris, Mariae Dominicae Mantovani die tertia Februarii et Iuliae Salzano die decima septima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrare possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Egregia haec soror insignes dedit religiosae pietatis operumque honorificorum testificationes. Pertinet ipsa ad spectabilem illarum religiosarum coetum quae suaviter cunctos hortabantur, cunctis opitulabantur, cunctos spiritalibus praesidiis consolabantur. Ea ideo coram omnibus fulgens habetur exemplar, unde catholica fides et navitas usque proferantur et quam plurimos homines attingant.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.624

III

Venerabili Servae Dei Mariae Candidae ab Eucharistia Beatorum caelitum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Triune God for the rich harvest which his grace continues to bring forth in your local Churches. At the same time, I have shared the deep pain which you and your people have experienced in these last years, and I have witnessed your determination to deal fairly and forthrightly with the serious pastoral issues which have been raised as a result. In fulfillment of my ministry as the Successor of Peter, I have wished to confirm each and every one of you in the faith [3] and to encourage you in your efforts to be "vigilant sentinels, courageous prophets, credible witnesses and faithful servants of Christ" for the People of God entrusted to your care.[4]

From the beginning of our meetings, I have stressed that your duty of building up the Church in communion and mission must necessarily begin with your own spiritual renewal, and I have encouraged you to be the first to indicate, by your own witness of conversion to the word of God and obedience to the apostolic Tradition, the royal way that leads the pilgrim Church to Christ and the fullness of his Kingdom. In particular, I have called you to adopt a lifestyle marked by that evangelical poverty which represents "an indispensable condition for a fruitful episcopal ministry".[5] As the Council itself stated, the Lord himself carried out the work of redemption in poverty and persecution, and his Church is called to follow along this same path.[6]

3. Now, at the conclusion of this series of meetings, I leave two charges to you and your Brother Bishops. The first is a fraternal encouragement to persevere joyfully in the ministry entrusted to you, in obedience to the authentic teaching of the Church. Can we not see in the pain and scandal of recent years both a "sign of the times" [7] and a providential call to conversion and deeper fidelity to the demands of the Gospel? In the life of each believer and the life of the whole Church, a sincere examination of conscience and the recognition of failure is always accompanied by renewed confidence in the healing power of God's grace and a summons to press on to what lies ahead.[8] In her own way, the Church in the United States has been called to begin the new millennium by "starting afresh from Christ" [9] and by making the truth of the Gospel clearly the measure of her life and all her activity.

[3] Cf. *Lk* 22:32.
[4] Cf. *Pastores gregis*, 3.
[5] *Pastores gregis*, 20.
[6] Cf. *Lumen gentium*, 8.
[7] Cf. *Mt* 16:3.
[8] *Phil* 3:13.
[9] Cf. *Novo millennio ineunte*, 29.

In this light, I once more praise your efforts to ensure that each individual and group in the Church understands the urgent need for a consistent, honest and faithful witness to the Catholic faith, and that each of the Church's institutions and apostolates expresses in every aspect of its life a clear Catholic identity. This is perhaps the most difficult and delicate challenge which you face in your role as teachers and shepherds of the Church in America today, yet it is one which cannot be renounced. In fulfilling your duty to "teach, exhort and correct with all authority",[10] you are first called to be "united in mind and judgment",[11] working harmoniously in the proclamation of the Gospel.

4. The second charge is a heartfelt appeal to keep your gaze fixed on the great goal set before the whole Church at the dawn of this third Christian millennium: the proclamation of Jesus Christ as the Redeemer of humanity. If the events of the past few years have necessarily focused your attention on the interior life of the Church, this should in no way distract you from lifting your eyes to the great task of the new evangelization and the need for "a new apostolic outreach".[12] *Duc in altum!* "The Church in America must speak increasingly of Jesus Christ, the human face of God and the divine face of man",[13] devoting the best of her efforts to a more compelling proclamation of the Gospel, the growth of holiness, and the more effective transmission of the treasure of the faith to the younger generation.

Since a clear sense of mission will naturally bear fruit in unity of purpose among all the members of the Christian community,[14] such a missionary outreach will surely promote the work of reconciliation and renewal within your local Churches. It will also consolidate and advance the Church's prophetic witness in contemporary American society. The Church feels responsible for every human being and for the future of society,[15] and this responsibility falls in a particular way to the lay faithful, whose vocation is to be a leaven of the Gospel in the world. As we look to the challenges lying before the Church in the United States today, two urgent tasks immediately present themselves: the need for an evangelization of culture in general, which, as I have stated, is a unique contribution which the Church in your country can make to the mission

[10] Cf. *Tit* 2:15.
[11] *1 Cor* 1:10.
[12] *Novo millennio ineunte*, 40.
[13] *Ecclesia in America*, 67.
[14] Cf. *Christifideles laici*, 32.
[15] Cf. *Redemptor hominis*, 15.

ad gentes today, and the need for Catholics to cooperate fruitfully with men and women of good will in building a culture of respect for life.[16]

5. Dear Brothers, I give thanks to God for the many blessings bestowed during this series of meetings of the Successor of Peter with the American Bishops. Having come to the heart of the Church and been confirmed in communion with the Chair of unity, may you now return to your local Churches with renewed enthusiasm for your mission of teaching, sanctifying and governing the flocks entrusted to your care. As you bear "the burden of the day and the heat"[17] in the service of the Gospel, may you always be reassured by the knowledge that, at every step of her earthly journey, "the Church draws strength from the power of her Risen Lord to overcome, in patience and in charity, her sorrows and her difficulties, both those from within and those from without, so that she may reveal in the world, faithfully albeit amid shadows, the mystery of her Lord, until in the end it shall be manifested in the fullness of light".[18]

Our meetings have fittingly come to an end during the week in which the Church celebrates the sesquicentenary of the definition of the dogma of the Immaculate Conception of the Blessed Virgin Mary, Patroness of the Church in the United States. As we lift up the fruits of these visits to the Lord and implore his blessings upon the Catholic community in America, let us turn our eyes to Our Lady, who, in the words of the Council, remains "the pre-eminent and wholly unique member of the Church, and its outstanding model in faith and love".[19] May Mary Immaculate guide each of you, together with all the clergy, religious and lay faithful of your local Churches, along your pilgrim way to the fullness of the Kingdom, and lift your eyes to the glorious vision of a creation redeemed and transformed by grace. May she, the Mother of the Church, assist her children, "who have fallen yet strive to rise again," to rejoice in the great things which the Lord has already accomplished[20] and to be faithful witnesses before the world of the hope which will never leave us disappointed.[21]

To all of you, with great affection in the Lord, I cordially impart my Apostolic Blessing.

[16] Cf. *Evangelium vitae*, 95.
[17] Cf. *Mt* 20:12.
[18] *Lumen gentium*, 8.
[19] *Lumen gentium*, 53.
[20] Cf. *Lk* 1:49.
[21] Cf. *Rom* 5:5.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

HONOLULUENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Annae Cope (in saec.: Barbarae), Religiosae professae Sororum III Ordinis S. Francisci de Syracusis in Neo-Eboraci (notae uti «Matris Mariae Annae de Molokai», (1838-1918)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Sanctus Franciscus Assisiensis in exordio sui Testamenti de leprosis sequentia scripsit: «Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere faciendi poenitentiam: quia cum essem in peccatis nimis mihi videbatur amarum videre leprosos. Et ipse Dominus conduxit me inter illos et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animi et corporis».

Vestigia persequens Sancti Francisci, Serva Dei Maria Anna Cope, civis Foederatarum Americae Civitatum, indiviso fidelique corde Iesum Christum dilexit, Eidem inserviens in derelictis ac praesertim in leprosis, pro quibus plus quam triginta annos suae mirandae vitae insumpsit. Sic verba quae dixit Dominus rectissime adimplevit: «Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40).

Haec testis caritatis Christi in Germania in oppido *Heppenheim* die 23 mensis Ianuarii anno 1838 nata est a parentibus Petro Koob et Barbara Witzenbacher, qui in baptismali lavacro ei nomen Barbaram indiderunt. Duobus post annis familia eius in Americam migravit et sub cognomine Cope in urbe *Utica*, ex *Neo-Eboracensi* civitate, domicilium constituit, ubi Serva Dei iuvenilem gessit aetatem. Ut conferret ad suos sustentandos, anno 1855 quadam in fabrica operari coepit. Consilio mature perpenso se Deo consecrandi, viginti quattuor annos nata, in coenobio Sanctae Clarae, ex Congregatione Sororum Tertii Ordinis Sancti Francisci de Syracusis, religiosam induit vestem, nomen Mariam Annam assumens. Religiosa professione anno 1863 emissa, diversa sustinuit munera apud suum Institutum Religiosum uti vicaria, antistita, ma-

gistra noviciarum, rectrix valetudinarii usque ad annum 1877, quo electa est moderatrix provincialis, quo in munere anno 1881 confirmata est.

Interea condicio leprosorum in Insulis Havaianis illo tempore magis in dies ingravescebat. Tunc leprosi, ex ipsorum familiis et e terra patria erepti, a publicis auctoritatibus mittebantur et deportabantur in Insulam *Molokai*, ubi deerant structurae quibus excipi possent et medicus qui eorum adversae valetudini prospiceret. Physice ac moraliter consumpti, vitam degebant omnino derelicti. Urgebat igitur praesentia Sororum quae valetudinarium aperirent, salubrem vitam curarent, leprosorum filios instituerent. Quapropter Episcopus Honoluluensis quaerere coepit quoddam Religiosum Institutum mulierum quae promptas se ostenderent ad leprosos curandos.

Huic petitioni annuit Serva Dei, tunc moderatrix provincialis. Ipsa quidem sex Sorores usque ad ipsam Insulam Molokaianam est comitata; attamen, nedum in Syracusas rediret, in insula manere maluit et reliquum vitae tempus insumere lepra afflictis sublevandis: sic enim Serva Dei hanc missionem roborare potuit; secus enim Sorores, sine Serva Dei, missionem reliquissent. Ob penuriam medicinarum, cibi et cuiusvis vitalis subsidii gravissima oppetivit incommoda. Simul cum suis Sororibus religiosis adlaboravit ut spem ferret et dignitatem illis infirmis qui, praeter physicos cruciatus, saepe alcoholo, vitiis, desperatione vexabantur. Praesentia Sororum Providentiae donum exstitit.

Serva Dei Maria Anna, summa munificentia et spe in Domino confirmata, suiipsius immemor, testificationes ostendit laetae et indefessae deditionis, inserviens tam leprosis quam suis Sororibus religiosis. Prout convenerat cum Beato Damiano a Veuster (1840-1889), qui ab anno 1873 leprosis Molokaianae Insulae coram praestabat, statuit duos convictus separatim aedificare, alium ad erudiendos pueros sub ductu Patris Damiani, alium vero ad puellas sub suiipsius regimine, videlicet leprosorum filios et filias, qui nascebantur non inquinati et postea adulti ad sese in societatem cooptandos destinabantur. « Mater Maria Anna – ut Soror quaedam testabatur – vitam in hac insula mutavit, promovit salubritatem, decus et gaudium in valetudinario leprosorum vivendi ». Ipsa insuper ceteras Sorores confirmabat eisque animum addebat, quibus praedixerat nullo umquam tempore eas lepra esse afficiendas: « Numquam in leprae morbum incidetis, etsi bene noverim periculum huius luis nobis quoque instare. Ad hanc missionem Deus nos vocavit... et ne ceterae quidem Sorores nostrae Congregationis lepra inquinabuntur ».

Summam nutriens fiduciam in divina Providentia, usque ad finem explevit missionem suam, religiosam consecrationem fideliter vivens et diligenter exsequens officia sororis, antistitae, commissariae provincialis in Insulis Havaianis.

Praesertim «mater leprosorum» fuit. Ut Domino summe dilecto placeret, vocem eius obsequenter exaudivit, eius voluntati obtemperavit, ad Regnum eius aedificandum contulit. Perseverantia et spiritali animi iucunditate virtutes excoluit fidei, caritatis et spei. Firmiter credidit in Deum, in Ecclesiam et in Evangelium, quod verbo et opere nuntiavit. Eius apostolatus missionarius cotidie inspirabatur et confirmabatur amore quo Deum et animas prosequebatur, Eucharistia, oratione, devotione ad Mariam Virginem, ad Sanctum Ioseph et ad Sanctum Franciscum. Circum se Christi caritatem diffudit in beneficium leprosorum, afflictorum, peccatorum, Sororum et omnium suum auxilium implorantium. Bonum Samaritanum vestigiis est consecuta (cfr *Lc* 10, 32-35), infirmos allevans, quin fastidium vel fatigationem ostenderet. Omnibus aequo animo, reverentia, comitate et summa patientia inserviit.

Sapientia, peritia et supernaturali prudentia operata est, quaerens gloriam Dei et instrumenta seligens magis idonea ad propriam sanctimoniam atque animarum salutem. Iustitiam exercuit erga Deum et proximum. Leprosorum, praesertim mulierum et puerorum, iura vindicavit et benefactoribus gratum significavit animum. Constantem se praebuit in propositis, tenacem in inceptis, fortem in difficultatibus, in adversa valetudine placidam. Ordinem servavit, moderationem, temperantiam, oboedientiam, castitatem. Fidelis erga franciscalem spiritum, paupertatem aestimavit. Numquam gloriam sibi tribuit ob innumera talenta a Deo collata et ob bona opera quae pro suo Instituto et pro leprosis exercuit. Verba eius et opera humilitate sunt illuminata. Sic scribebat: «Non desidero altam in caelo sedem; tantummodo pergratam me ostendam de parvo quodam loco mihi dando, ubi Deum in aeternum diligere possim». Post dolentem morbum, die 9 mensis Augusti anno 1918 aeternum quod semper affectaverat praemium obtinuit.

Vivens, moriens ac vita functa, Serva Dei larga sanctitatis fama frui potuit, quapropter honoribus summi ponderis est honestata ob tanta merita in leprosis curandis. Sorores Tertii Ordinis Sancti Francisci de Syracusis diutinos per annos documenta collegerant de vita et virtutibus Servae Dei, cuius Causa beatificationis et canonizationis inchoata est apud Curiam Honoluluensem. Haec quidem annis 1983-1988 dioecesanam instruxit Inquisitionem, cuius validitatem Congregatio de Causis Sanctorum postea comprobavit per decretum quod edidit die 14 mensis Iulii anno 1989. Exarata *Positione*, habita est Sessio Consultorum Historicorum die 30 mensis Aprilis anno 1996. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum peractus est, felici cum exitu, die 24 mensis Octobris anno 2003. Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 13 mensis Ianuarii huius anni 2004,

Ponente Causae Em.mo Cardinali Augustino Cacciavillan, agnoverunt Servam Dei Mariam Annam Cope theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroico in gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Annae Barbarae Cope, Religiosae professae Sororum III Ordinis S. Francisci de Syracusis in Neo-Eboraci (notae uti «Matris Mariae Annae de Molokai»), in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei Mariae Angelorum Ginard Martí, Religiosae professae Congregationis Diligentium a Cultu Eucharistico (1894-1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Necare nos est quo nos maxime afficere possunt».

Tantis verbis ad eos relatis, qui periculi adiunctorum ipsam commonebant, Serva Dei Maria Angelorum Ginard Martí Divini Redemptoris praecepto intime sociatam se ostendit, quod ne eos, qui corpus modo occidere pos-

sunt, timeantur (cfr *Mt* 10, 28) suadet. Superna enim gratia suffulta, erga carnifices sine recusatione se religiosam professa est et, optato suo identidem declarato obsequens, palmam martyrii assecuta.

Fidelis haec Sponsa Domini in oppido *Lluchmayor* in Dioecesi Maioricensi die 3 mensis Aprilis anno 1894 nata est. Una cum parentibus Palmam commigravit, ubi, ut familiam labore suo adiuvaret, in sutis operam dare coepit. Cotidie Sanctam Missam participabat, ad sacram Communionem saepius accedebat et acta primorum Christi martyrum libenter legebat. Nomen suum insuper in Consociatione perpetui Rosarii adscripsit.

Undevicesimum fere aetatis annum agens, propositum vitae religiosae amplectendae manifestavit, sed ob primam parentum repugnationem aliquot anni ipsi opperiendi fuerunt antequam hoc desiderium explere potuit, et ad enixiorem interdum precationem se contulit, ut quaenam consilia Dei in se intellegeret.

Tandem, ex spiritalis sui moderatoris suggestione Congregationem Diligentium a Cultu Eucaristico Palmae ingressa est. Die 27 mensis Maii anno 1922 habitum religiosum induit, Sororis Mariae Angelorum nomen sumens. Post annum novitiatus, die 28 mensis Maii anno 1923, professionem temporaneam emisit et, sexennio post, perpetuam. Officia eidem commissa fuerunt Procuratricis in domo Matritensi annis 1926-1929, Consultricis primae in domo Barcinonensi annis 1929-1932 et demum Procuratricis loci et Consultricis denuo in domo Matritensi annis 1932-1936.

Sedulitate ac sensu aequitatis, quibus haec explevit officia, ac diligentia in observanda Regula sui Instituti emicuit. Per orationem, devotionem erga Eucharistiam et Beatissimam Virginem, necnon praeceptorum evangelicorum usum intimiorem cum Domino unionem semper coluit, quem supra omnia dilexit. Veritatibus fidei adhaesit et oboediens Ecclesiae ac Romano Pontifici fuit. Misericordem et affabilem cum omnibus se exhibuit et illis, qui prave eidem malum intulerunt, ignovit.

Mense Iulio anno 1936, persecutione erga catholicos increpante, Sorores Diligentes a Cultu Eucaristico e conventu Matritensi decesserunt apud familias amicas profugientes. Ipsa Serva Dei in privata domo hospitio excepta est, ubi oratione ad futuras tempestates subeundas se comparavit. Nam, delatoris cuiusdam proditionis causa, inventa est et die 25 mensis Augusti anno 1936 militares anarchici incurrerunt, ut eam in vinculis comprehenderent. Serva Dei vero, ut aliam mulierem cum ipsa inventam et ideo religiosi status inconsulte suspectam liberaret, se unicam in situ Sororem fortiter declaravit.

Ne pecunia conventus eidem commissa ipsi eriperetur, sollerter impedire valuit.

Die ipsa fortasse, qua deprehensa, plumbis trasfossa est et biduo post corpus eius inventum est.

Statim post mortem populus Dei eam martyrem pro fide putavit, quae fama numquam annorum decursu imminuit. Anno 1987, Archiepiscopus Matritensis, Causam beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei iniit Inquisitionem dioecesanam celebrans, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 18 mensis Octobris anno 1991 probatae sunt. *Positione* conscripta, disceptatum est, more solito, de asserto martyrio Servae Dei. Die 11 mensis Novembris anno 2003 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, secundo cum exitu, factus est et die 17 mensis Februarii anno 2004 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulo Cilibiensi, qui agnoverunt Servam Dei Mariam Angelorum Ginard Martí vere fidei causa enecatam fuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servae Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Mariae Angelorum Ginard Martí, Religiosae professae Congregationis Diligentium a Cultu Eucharistico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Columna Cimadevilla et López-Dóriga puellae (1952-1962)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelanda est in nobis» (*Rom* 8, 17-18).

Christianos Paulus Apostolus commonet eum, qui per catinum transit tribulationis, felicitatem infinitam servis fidelibus a Christo promissam attingere posse. Quam viam puella Maria a Columna Cimadevilla et López-Dóriga decurrit, quae, acerrimo morbo confecta, animum minime demisit, sed Domino cruciatus suos pie obtulit, passionis salvificae Christi participem se faciens.

Serva Dei Matriti in Hispania die 17 mensis Februarii anno 1952 e religiosis parentibus nata est. Postridie baptizata est; dein, die 15 mensis Maii anno 1959 Primam Communionem recepit et die 12 mensis Decembris insequentis anni sacramentum Confirmationis. Prima rudimenta utpote alumna externa didicit apud Sorores Christi Regis, cursum primarium quinquennalem optimis cum exitibus adimplens. Iam inde a pueritia orationem supra aetatis suae consuetudinem coluit. Vixdum nonum annum vitae agebat, cum morbo quodam se corripi animadvertit. Tunc in valetudinario recepta est clinicarum scrutationum causa, quibus expletis diagnosis valde infausta dicta est: morbo nomine «Hodgking» vulgo nuncupato seu tumore gangliorum lymphaticorum corripiebatur, qui inenarrabilibus doloribus eam afficiebat.

Puella vero summam maturitatem spiritualem extemplo ostendit. Non modo enim cruciatus Christi communicavit, sed ipsos etiam ad apostolatus sanctificationisque instrumentum convertere voluit. Invitationem ergo Sororum, quae eidem assidebant, suscepit, ut Unionem aegrotorum missionariorum ingrederetur; magna cum largitate animi, dolores suos pro conversione peccatorum et non christianorum obtulit et, ut oblatio efficacior evaderet, renuntiavit remedia, quae dolores mitigarent.

Tanta animi virtus in amore Domini, qui fuit centrum affectuum curarumque eius, radicem habebat. Ut Christo, magistro et amico, placeret, virtutes christianas cum sedulitate, constantia et laetitia exercuit. Firmiter in Deo et in praeceptis Iesu Ecclesiaeque credidit et congruenter cum principiis, quibus credebat, vixit. Perseverans fuit in oratione et magnum momentum

cultui eucharistico dedit, sacram crebro accipiens Communionem et diu ante Tabernaculum stans adoranter. Specialem habuit devotionem erga Iesum puerum ac Beatissimam Virginem Mariam, quam constanter Rosarii precatione invocabat. Inter cruciatus morbi certitudini paternitatis Dei et spei iam proximae vultus Dei contemplationis innixa est. Praecepta divina servavit et omne peccatum abominata est. Summo studio intendit, ut in omnibus rerum adiunctis cultum Deo debitum praeberet, et praestitit ut omnes cognoscere et amare possent Christum, lucem veram, quae illuminat omnem hominem (cfr *Io* 1, 9). Munera sua sive domi sive in schola adimplevit. Praecepta Ecclesiae verita est et pietatem oboedientiamque erga parentes et sacerdotes coluit, praesertim qui ipsam spiritualiter moderabantur.

Semper caritatem in alios aegrotos et pauperes habuit, quibus omnia sua dedit; plena fuit erga medicos et infirmorum ministros sollertia, quibus minimam molestiam affere conabatur. In morbo magnam fortitudinem ostendit et semper aequa et laeta apparuit. Iam inde ab infantia indolem suam continuit, quam natura certiorem habebat. Castitatis candorem tuita est et cavit, ut alii quoque pulchritudinem eius intellegerent.

Die 6 mensis Martii anno 1962, postquam matri se Iesum audire appellantem dixerat, reditum laetanter fecit in domum Patris.

Ob diffusam sanctitatis famam Archiepiscopus Matritensis Causam beatificationis et canonizationis inivit et annis 1965-1974 celebravit Processum Ordinarium Informativum. Anno 1990 instructa est Inquisitio Rogatorialis in dioecesibus Granatensi et Matritensi. Quorum Processuum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decretis dierum 4 mensis Iulii anno 1986 et 24 mensis Iunii anno 1994 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est, ut ex norma, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 28 mensis Octobris anno 2003, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est. Patres Cardinales porro et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 13 mensis Ianuarii anni 2004, audita relatione Causae Ponentis, Excellentissimi Domini Lini Fumagalli, Episcopi Sabinensis-Mandelensis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congre-

gationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Columna Cimadevilla et López-Dóriga, puellae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MECHLINIENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis a S. Corde (in saec.: Leonis Dehon), sacerdotis, Fundatoris Congregationis Sacerdotum a S. Corde Iesu (1843-1925)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ioannes a Sacro Corde (in saeculo: Leo Dehon) *Capellae* natus est intra fines dioeceseos Suessionensis in Gallia die 14 mensis Martii anno 1843. Post doctoratum in iure civili consecutum, ad presbyteratum se paravit, quo Romae anno 1868 auctus est. Ad dioecesim suam reversus, apostolatui sociali atque iuvenum institutioni caritatisque operibus, multos suscitans inceptus, ferventer vacavit. Variis superatis difficultatibus, Congregationem Sacerdotum a Sacro Corde Iesu pro Regni Dei in animis et in societate incremento fundavit. Devotionem suam in Sacrum Cor Iesu rursus manifestavisset, «pro te vixi, pro te morior» cum vita iam cedebat exclamans, Bruxellis die 12 mensis Augusti anno 1925 pie in Domino quievit.

Die 8 mensis Aprilis anno 1997, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram quamdam sanationem in Brasilia occursam et intercessioni eiusdem Patris Ioannis a Sacro Corde tributam. Casus ad Geraldum Machado da Silva attinet, qui, cum molestiis abdominis iam laboratus esset, die 30 mensis Maii anno 1954, quadragesimum secundum aetatis annum agens, accerrimo dolore extemplo ad epigastrium animadvertit.

Cum postridie in valetudinario Sanctae Domus Misericordiae civitatis *Lavras* receptus esset, medicus, qui eum invisit, diagnosim terebrationis duodenalis cum pergravi peritonitide diffusa pronuntiavit et eum instanter arbitratus est chirurgicae sectioni committi, quam vero infirmus abnuit.

Cum aegroti valetudo in gravius vertisset, chirurgica sectio, quae sero effecta est, scilicet post viginti et unam horam a primis signis, priorem confirmavit sententiam, sed ob diffusam abdominalis textus putredinem aliorumque incommodorum causa, subsidium chirurgicum imperfectum evasit. Curae igitur non modo tardae, sed etiam eo ineptae fuerunt, ut prognosim infaustam quoad vitam, sicut provisum erat, diceretur.

Die 31 mensis Maii condiciones aegroti gravissimae erant, quam ob rem presbyter quidam e Congregatione Sacerdotum a Sacro Corde Iesu Unctionem Infirmorum iamdudum ei ministravit, ad pectum eius reliquiam Servi Dei applicans atque una cum Sorore quadam auxiliaria Dominae Nostrae a Pietate aliisque adstantibus intercessionem Servi Dei invocans.

Postridie dolores et status prostrationis infirmi evanuerant et arteriarum pulsus aequalis apparuit. Chirurgi tum vocati sunt, qui vero tantum subitaneum profectum explanare non valuerunt.

De hoc casu anno 1961 apud Curiam Sancti Ioannis a Rege Processum Ordinarium Informativum celebratum est et anno 1965 Processum Suppletivum, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 4 mensis Octobris anno 2002 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione diei 15 mensis Maii anno 2003 sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam fuisse affirmavit. Die 21 insequentis mensis Novembris Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 20 mensis Ianuarii huius anni 2004 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Ioanne Coppa, Archiepiscopo tit. Sertensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Ioannis a S. Corde (in saec.: Leonis Dehon), Sacerdotis, Fundatoris Congregationis Sacerdotum a S. Corde Iesu, videlicet de rapida, completa ac duratura sanatione Geraldi Machado da Silva ab «ulcera duodenale perforata con grave peritonite generalizzata»*.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Passione D.N.I.C. (in saec.: Mariae Gratiae Tarallo) ex Instituto Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam (1866-1912)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus» (*Gal* 2, 19-20).

Genuinus quisque Christi discipulus non modo eius verbo auscultat, sed etiam huc tendit, ut divino Magistro omnino conformetur eiusque vestigiis fideliter ingrediatur. Nam Deus Pater vult ut omnes fiant «conformes... imaginis Filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus» (*Rom* 8, 29).

Studium suimet Iesu conformandi penitus notavit vitam Sororis Mariae a Passione Domini Nostri Iesu Christi, quae Iesum indiviso corde dilexit, cum

eius mortem et resurrectionem in fide communicans, tum eius Regno augendo operam navans. Sic, Cruce praelucente, in via sanctitatis sine mora profecit, mirabilium virtutum aromata circum se spargens.

Haec sponsa Domini nata est die 23 mensis Septembris anno 1866 in vico v.d. *Barra* apud Neapolim e Leopoldo Tarallo et Concepta Borriello, eademque postridie in paroecia « Ave gratia plena » nomine Mariae Gratiae Baptisma recepit. Eius familia, quae bene erat de rebus domesticis constituta optimeque de re christiana sentiebat, eximiam ei formationem religiosam adhibuit, qua Serva Dei obsequenter ac fructuose est imbuta. Quae teneris adhuc sub annis votum perpetuae virginitatis coram Deiparae imagine nuncupavit. Anno 1873 sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae devote recepit, cum autem tribus post annis sacramentum ei Confirmationis conferretur. Nec vana gratia divina in ea, quippe quae Dei voluntatis docilis in virtutibus proficeret, inter omnes propter caritatem excellens tum in Deum tum in proximum adhibitam, eaque modesta, affabilis, in studiis diligens consutisque dedita. Cum a Domino attraheretur, in quoddam Institutum vitae consecratae admitti cupiebat; pater autem ei matrimonium exoptabat. Illa tandem, paternis instantiis oppugnata, die 13 mensis Aprilis anno 1889 nupsit cuidam Raphaëli Aruta, qui eo ipso die in gravem morbum incidit, ita ut statim apud parentes se reciperet dieque 27 mensis Ianuarii anno 1890 in valetudinario oppidi v.d. *Torre del Greco* supremum diem obiret.

Consilium suimet Deo consecrandi, quod ipsa strenue et constanter excoluerat, verum evasit. Anno enim 1891, Serva Dei, omnibus dimissis, in oppido v.d. *San Giorgio a Cremano* ingressa est Congregationem Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam, fundatrice Serva Dei Maria Pia a Cruce (in saec.: Magdalena T. Rosa Notari: 1847-1919) recipiente. Habitum religiosum nomenque sumpsit Sororis Mariae a Passione D.N.I.C. Die 20 mensis Novembris anno 1892 professionem temporariam emisit, perpetuam vero die 18 mensis Martii 1903, cui quidem ipsa votum addidit ut se tamquam victimam pro peccatorum conversione sacerdotumque sanctificationem offerret.

In communitate munera sustinuit coquae, vestiplicae, aedituae, vicariae pro moderatrice Domus Matricis extremisque vitae suae temporibus novitiarum quoque magistrae. Suum quodque munus erga Deum, Ecclesiam suisque Sororibus humiliter, diligenter, fidenter, amanter explevit, quippe quae semetipsam minime quaereret, sed potius Dei gloriam salutemque animarum. Mente et corde divinae revelationi superiorumque directoriis adhaesit. Omnibus viribus Deum dilexit, cui noctu diuque famulata est fervida oratione, devotione erga Iesu Christi Passionem et Eucharistiam et Virginem Perdo-

lentem, perfecta evangelicorum consiliorum Regulaeque observantia, sacrificiis denique et paenitentiis quibus Iesu Crucifixo iungebatur. Domini causa ad pedes Crucis habitavit, anima et corpore Passionem deque mundi salute sollicitudinem cum eo participans. Vitam ipsam posuisset dummodo Sponsus diligeretur et coleretur ubique. Mundanis rebus minime oblectata, spem suam in Deo, in protectione Mariae inque Sanctorum posuit intercessione. Fiduciam et pacem suis Sororibus addebat, easdem omnibus illis afflictis vel miseris vel aegrotantibus vel denique pauperibus ab ea auxilium petentibus. Omnes vero hoc hortabatur: « In Domino confidite, qui vos adiuvabit ». Vitam aeternam continenter appetivit, quam Dei voluntati parens suaeque religiosae consecrationi fidelis mereri conata est.

Verbo, consilio deliberamentisque prudentem se exhibuit. A divina sapientia collustrata, suae sanctificationi animarumque servitio aptiores rationes valuit deligere, eadem iusta, sincera, temperans, in tribulationibus constans, in consiliis sacrificiisque perseverans. Quae porro, cum haberet se pro peccatrice caelestibus beneficiis indigna, laudari devitabat, malebat autem humiliari atque obiurgari. Ne autem alienam attentionem in se converteret, extraordinaria munera, quae ipsa plurima multifariaque a Deo receperat, diligenter occultabat.

Dum bonae adhuc valetudinis exsistit, diem suum supremum prospexit; quam nempe Dominus ad Se vocavit die 27 mensis Iulii anno 1912. Hoc autem testamentum suis ipsa Sororibus reliquit: « Vobis recommendo ut sancte in Regulis perseveretis, promptasque vosmetipsas ad oboedientiam exhibeatis, maximeque ut Iesum in augustissimo Sacramento cotidie adoretis. Quem quidem vobis fervide diligendum numquam deseratis neve ei dolorem afferatis ».

Cum fama sanctitatis, quae Servam Dei adhuc viventem prosequebatur, annis eius mortem subsequentibus propagaretur atque confirmaretur, Iosephus Cardinalis Prisco, Anchiepiscopus Neapolitanus, Causae beatificationis et canonizationis initium dedit per Processum Ordinarium Informativum, annis 1913-1918 celebratum. Post decretum Introductionis Causae die 14 mensis Martii anno 1928 latum, Processus Apostolicus instructus est, cuius validitas iuridica rata est a Sacra Rituum Congregatione per decretum die 3 mensis Februarii anno 1938 editum. Postmodum vero mystica de Serva Dei phaenomena altius excutienda evaserunt. Omnibus demum enodatis confectaque *Positione*, disceptatum est secundum normas utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 10 mensis Decembris anno 2003 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres

Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 mensis Martii huius anni congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Andreae Mariae Erba, Episcopi Veliterni-Signini, Causae Ponentis, recognoverunt Servam Dei Mariam a Passione D.N.I.C. virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Passione D.N.I.C. (in saec.: Mariae Gratiae Tarallo), ex Instituto Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NICOSIENSIS

Canonizationis Beati Felicis a Nicosia (in saec.: Iacobi Amoroso), Laici professi O.F.M. Cap. (1715-1787)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Felix a *Nicosia* (in saeculo: Iacobus Amoroso) Nicosiae in provincia Hennensi Siciliae insulae natus est die 5 mensis Novembris anno 1715. Artem sutoriam didicit, quam vero deposuit ut Ordinem Fratrum Minorum

Capuccinorum anno 1743 ingrederetur. Postquam professionem religiosam uti frater laicus emisit, Conventui civitatis suae natalis addictus est, qui officio stipis queritandae fungeretur. Exemplo vitae et apostolatus sui lucem Christi per domos irradiavit. Litteris nescius, scientiam habuit caritatis, oboedientiae et humilitatis. Die 31 mensis Maii anno 1787 Nicosiae pie in Domino requievit.

Die 12 mensis Februarii anno 1888, Summus Pontifex Leo XIII eum in numerum Beatorum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram quamdam sanationem Iosephi Turdo, presbyteri ex vico *Tusa* oriundi in dioecesi Pactensi, qui, die 25 mensis Iulii anno 1900, septuagesimum quartum aetatis agens annum, acerrimis vesicae tormentis, sanguinis profluvio comite, correptus est. Sedulis post clinicis scrutationibus, diagnosis papillomatis vesicae seu tumoris villosi cum prognosi infausta dicta est. Effusio enim sanguinis in gravius ruit et febris cum deliriis, inedia, cachexia aliisque molestiis excepit. Cum vero infirmi valetudo adhuc in peius verterat, nulli chirurgicae sectioni commissus est.

Die 27 mensis Septembris eiusdem anni ipse ad divinum confugit auxilium per intercessionem Beati Felicis a Nicosia, quem invocaverat in oratione, et rapide salutem ac vigorem recuperavit.

De hac sanatione, extemplo mira aestimata, annis 1904-1908 Processus Apostolicus celebratus est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 16 mensis Septembris anno 2002 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum, in sessione diei 8 mensis Octobris anno 2003, omnium consensu, sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam fuisse affirmavit. Die 6 mensis Februarii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et insequenti die 2 mensis Aprilis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Francisco Croci, Episcopo tit. Potentino in Piceno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Felicis a Nicosia (in saec.: Iacobi Amoroso), Laici professi O.F.M. Cap., videlicet de rapida, completa ac duratura sanatione sacerdotis Iosephi Turdo a « papilloma vescicale (cancro villoso all'epoca 1900) con compromissione generale (anemia, febbre, infezione urinaria, stato cachettico) »*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*
